

lit. Lat.

rec. A.

745

Post. lat. No. 957

VOX  
in  
*RAMA Audita*  
sive  
**RACHEL**

plorans Filios suos  
per Crudeliss. Tyranni Herodis:  
Satellites,  
miseré trucidatos  
*Carminè Heroico*  
*vestita.*

&  
aliquot  
Magni nominis Patronis  
pro Calendis Januarijs  
Anno 1618  
loco Strenæ  
*Honoris & Amoris ergò*  
*consecrata*  
atq;  
oblata  
à

M. VENCESLAO CLEMENTE Zebraceno.



*Anthor ad Calliopen suam.*

**P**Rorsus at ire paras ? Lucemq; indigna videre  
Percupis ? INFANTUM Musa locuta necem  
Nec retrahi pateris ? vereor quem credula fingis,  
Ne vice conversa fiat Amaror Amor.  
Et meritó quis enim Bavij rude carmen amaret ?  
Ni potior Phæbo Marsyas ipse foret ?  
An Te Stulta putas meliori fidere natam :  
Falleris ! hem criticas experiere notas.  
Hic TE culpabit, morfu Is proscindet amaro.  
Ille ream vecors, ambitionis aget,  
Fors subitura rogos, & proijcietis in ignem ,  
Quive juvare velit, nullus Amicusj erit.  
Quidquid erit tandem, posita formidine lethi.  
Ito, nec Invidiæ spicula dura time.  
Ito. sed audacter ; placuerunt DI S quoq; parva,  
Majestasq; humiles est habitata casas.  
Et si quis lacerare volet, Tu dicito Musas  
*Semper amare pium est at lacerare nefas.*  
*Si non ipse leges, lectu indignamq; putabis*  
*A morfu tantum comprime labra. Vale.*

**T** Empus erat celebrē quo Vatū germine Vicū  
Rex ubi Jessiades Natales hauserat ortus  
Quāve Domū Panis Bethlem dixere Parentes  
Ingreditur Virgo regali sanguine nata,  
Nulli notā viro, nulli sociata marito,  
Virgo plena Deo, virgo Matercula dici  
Digna, sed aeternum sibi Virginitate manente.  
Ac Stabuli praesepē legit paritura Monarcham  
Quo conclusa diu reseretur Porta Salutis  
Veneat & malum malo damnosius omni  
Unum quod dederat malū mala pessima mundo.  
Famq; ubi nat⁹ erat, rerum prope forma creatā  
Incipit insolito mutari cardine centri, (rum  
Gestit in excelsis Calum, Diviq; ministri  
Descendunt letum cantu mortalibus omen  
Dicentes, & Terra ferē Bona visa monere est  
Atq; novos Homini generare in pectore motus.  
It nova Fama solo; Rex regum natus in Orbe,  
Fama bonum quo non aliud jucundius, ullum  
Regis Idumaei quam primum perforat aures  
Pectus & incendit dictis, atq; aggerat iras,  
Hic Sceptri metuens, metuens vitaeq; suorum  
Quae non molitur, quae non perquirat acerba!  
Ut possit, natum de vita tollere Regem  
Edoctusq; locum, mensuram, annosq; juvenia,  
Venales Furias, Puerorum cadibus armat,  
Nocte sata, Furias, qui Bethlemitidos oram  
Mandato certi, sitientes ante crucis,

A 2

Nec

Necquicquam Superos, nec conscia sidera celi  
Non lacrymas, questus Storgas, non viscera Matrū  
Non & semineces Patres non verba nec aurum,  
Spectantes, lustrent, Pueros hinc inde trucident  
Accipiunt inimicum imbrem cediq; parant se,  
Horrentes fremitu, ferro, tragicoq; tumultu.  
Impasti ceu clausa lupi per ovilia circum  
(Suadet ubi vesana fames) grassantur, & ore  
Diripiunt imbelle pecus, retrahuntq; trabuntq;  
Sic Celo genus invisum corda impia, (queis non  
Tetrior ulla lues, queis non crudelior usquam  
Bubonum Styge nata cohors, Scillaq; bifformes  
Quamvis funestum sat sint mortalibus omen)  
Tantus utrinq; animos ciet impetus atq; videndi  
Sanguinis atra sitis, cedisq; innata cupido, (stant.  
Qua data Porta ruunt, urbes ceu turbine per-  
Innumeras animas, tot millia pubis inerma  
Pellunt e vitâ, vite quæ lumen amicum  
Vix dum primævis hausit modo nata labellis.  
Urbium abit Species, prostrata Cadavera, nullo  
More jacent Spectacula vijs inhumata, domusq;  
Cede madent, tenero cunæq; cruore rubescunt,  
Infans hic blando complexus amore Parentum  
Militis in festâ maletactus acinace, præceps  
Labitur, & roseum reseco vomit ore cruorem,  
Cui gremium Matris rogos est, & triste feretrum!  
Vagit at in Cunis alter, premiturq; sopore  
Adventat Furia Famulus, ferrumq; prehensum  
Pectus

Pectus in adversum Pueri capulo tenus abdit.  
 Deserit heu Puer heu! madidas in Sanguine Cunas.  
 Pendulus hic sugit cara; lac ubere Matris  
 Natus est in risum, vah in contraria versum  
 Fit misera Matri peracerbi causa doloris!  
 Innocuo moriens efflat dum corpore Flatum,  
 Proh scelus! est Patris vultusq; maniq; cruentat  
 Hic exorsus erat risu cognoscere Matrem  
 Cui blandi blande simul arrisere Parentes.  
 Non diuturnus erat (diuturnum nil statim Orbe)  
 Tedia tedia tulit tenero dum Sanguine tingit  
 Edis humum, primamq; die summamq; relinquit!  
 Blandidulas alius didicit mediare loquelas  
 Oreq; semiloquo Mamamq; Tatamq; vocare,  
 Grandior hinc alius, Volucrum non segnior alis  
 Matris ad obsequium, dextramq; pedesq; parabat  
 Quos Harpe (nec enim scelerata linquere mentem  
 Vult inimica sitis) rigido ferit effera ferro!  
 Labitur is, est labitur hic Matresq; cruentant!  
 Qui ve prius lingua Mamamq; Tatamq; vocabat  
 Ultima non poterat misero dare Basia Patri  
 Nec moriens labris hac verba novissima ferre,  
 Vita negata Vale, cineres salvete pusilli;  
 Sed jacet in medio Conclavis limine truncus!  
 Avulsumq; humeris Caput est sine nomine corpus!  
 Spectaculum infelix! miseranda Tragedia! cæde  
 Funesta! ah facinus pecudum a quo sensus abhorret!  
 Eligit illa Caput letho submittere MATER,

Hoc petit assiduis lacrymis & questibus instat,  
Infans Solamen PATRI servetur ut agro  
Quo recreet fessos annis tardantibus artus  
Et videat dura spem praesidiumq; Senectae,  
Nil tamen exorat, lacrymae volvuntur inanes.  
Sic obtusa gerit Furiarum corda Satelles!  
Saevit amor cadis, Puerilia corpora passim  
Procumbunt! haeret Pede Pes! vox hiscit in ore.  
O Sors! o rabies! plusquam ô Phalarea Tyrannis  
Vidit summa videns SOL & caligine septus  
Avertit radios terris lucemq; negavit,  
Immanemq; necis rabiem pertasus & Urbes.  
Intuitus, lacrymas caelis effundere visus.  
Questus erat Jordani honos à Sanguine tactus,  
Et miserabile agens fremitu magnū agmē aquar.  
Constitit; iratusq;, iratas eiecit undas,  
Mox ruit in planum sata leta, Boumque labores  
Stravit, & immodicum sibi vi vicina coëgit  
Arva queri, cladem sic detestatus atrocem  
Sanguivoramq; Luem (quis talie facta videndo  
Temperet à lacrymis, ni sit crudelior Hydrā  
Caucasēaq; fera Scythico vel durior URO)  
It clamor caelo, vox RAMAE auditur & ingens.  
It gemitus terrā, trepidant plangoribus aedes,  
Atria ploratu, nimio conclavia fletu  
Horrent, & MATRES orbatae Infantibus, ora  
Percutiunt palmis, lacrymis Forq; compita cōplēt  
Nec latuere Loci genios, Manesq; sepultos.

Quat-

Quotquot habet Judæa suo subviscere, cades ;  
Quin fletus sine more cient, Dolor omnibus idem.  
His accensa super, sanctis Stipata catervis  
Proficit in medium, mediogq; immobilis hærens  
Pòl sine mensurâ lacrymas, sine lege querelas  
RACHEL agit, vacuoq; cupit pauca ore profari,  
(Astabant cui indigetes, bene conscia turba)  
Ter conata quidem gemebundam tollere vocem,  
Ter frustra tenuis ceu stippa recessit in auras.  
Post genio suffulta queri sic incipit ; Ergo  
Hæc nos fata manent ? hæc prædixere Parentes ?  
Hæc voluit Superum manus ? hæc docuere Prophe-  
Scilicet en fieri video ? Re carmina Vatum (ta ?  
Complentur, qui nos magnum sperare jubebant ?  
Vivis adhuc Genitor Cæli Suprema Potestas ?  
Vivis ? & haud nostra tangit te cura Salutis ?  
Sensimus & MANES nati cunabula SILOH.  
Sensimus atq; novo nova Lumina plaudere REGI.  
Jam tandem rediisse rati Præmissa Parentum,  
Omnibus insolito nobis vox excidit ista ;  
Nunc expectatus MESSIAS nascitur orbi, (tis,  
Ille Monarcha potens, Spes Cæli Porta Salu-  
Ille Nepos. ABRAHÆ. Regum Rex maximus, il-  
Flos Patriæ vindex libertatisq; peremta. (le  
Hunc fore quid credam ? de quo mihi credere duris  
Sane ! tum demum major si creverit Annis,  
Si firmata Virum firmatum fecerit ætas,  
Aurea (ceu Spes est) hic nobis secula condet.

Fallor ! Fallor adhuc ! nam si tot tristibus ausis  
Sanguine si tenero Puerorum corpore fuso,  
Questibus & lacrymis Matrū, Patrumq; dolore.  
Funeribus si tot, si animabus totq; Nepotum  
Excipiendus erat nascentis Primulus ortus,  
Hic quid sperandum; Spes est ubi parva bonorū.  
Et ne dissimulem, manet altā mente, repōstum  
Quod prius Abrahamo, post Jeshiadaq; potenti  
Jov A PATER sancti ( jus irrevocabile ) pactum  
Quo Tu per te ipsum, per conscia Sidera jurans  
Certò es pollicitus, dum SOL, dum Luna nitebit,  
In mare dum fluvij current, Cerealis & aestas  
Dum messes feret, electā de stirpe propago  
Perpetuò patuli capiet Diademata mundi  
Seclaq; per Secli longis currentia fufis  
Transmittet Famam, Sceptri quū justus habenas  
Frenabit, miseris parcens, multansq; Superbos.  
Promissi hacce fides? Sic nos in Sceptra reponis?  
Plura vetat Genius, multò dare plura volentem,  
Solatusq; animos, tenui sic fatur ab ore ;  
Non decet hac questus sanctos iteratio Manes!  
Et de promisso Jov Æ dubitatio Nato.  
Parce metu RAHEL. Quæ TE Sententia vertit?  
Sunt (scis) jussa DEI humanis contraria votis  
Semper, ut & corpus non evitabilis Umbra  
Sic animas, Superum queis sunt oracula curæ  
Perpetuo sequitur variorum lerna malorum.  
Hac quoq; cuncta videt, qui facta infecta tuetur.  
Dixe.

Dixerat, illa silet mox hinc conversa Tyrannū  
Torvatuens truculenta minās) somnoq; sepultū  
Excitat, & Stygium paulo implicat ossibus ignem,  
Conscius is trepidat (Furijs stridentibus in se)  
anguineum volvēs facinus, Puerosq; necatos,  
Pachatur, rapido Dirarum percitus oestro,  
Morte morat, tædet Cæli convexa videre,  
Tellurisq; pudet quam sparserat amne Cruoris.  
HAEL at accedēs, Heus Tu vigilasne Necis Fōs,  
rudelis Prædo! cædis cumulo obrute Prædo!  
ernicies orbis, caput exitiale malorum  
Iuncne putas Regem mortalia quarere regna?  
Quod tibi regnandi surgit tam dira cupido?  
Iunc ambire decus mundi, qui calica donat?  
Qui te servatum venit, tu perdere tentas?  
Ium sic in teneros savis, sine more, Puellōs?  
erudis Infantum Sanguis male fusus, & ora  
ot lacrymis madefacta Patrū, temerataq; corda  
letibus imbrifluis urgent persolvere triste  
upplicium, cædis dignas & pendere penas,  
omnia penarum qui profers fulmina, Solus  
omnia penarum scelerumq; exempla subibis.  
erte omnes TE TE in facies furor impie, Gens ô  
erra Gens infesta Polo, Stygiam indue mentē,  
oge viros, accende trucem furiose Canum vim  
xhauri totum Puerorum cædibus orbem  
lim Talis erat Pharos improbus, Assur, Ogusq;  
Ut reliquos taceam) famosa Sanguinis Hydra

At tamen in brevius laxant sua frena favori,  
Et quum se vitia vestigia summaprehendunt  
Ac capite ad calcem Sanctorum cede madentes  
Tum ruit horribili pena comitata DEI vis.  
Quem vè tenet nimis assidui Sitis aspra cruoris  
Rarò morte perit sicca, sine Sanguine rarò  
Ad Styga descendit, proprium sitientibus amnem  
Nec miser effugies, fugias licet, ilicet, ecce  
Jam letho patefacta via est, jam stamina vitæ  
Præcidet Mors iussa tua, jam conscia dentes  
Eumenis exacuit, Scutica fera tormina pandit  
Infaustum caput angvineis redimita capillis,  
Sanguineo insultans facinus feret, ulta flagello,  
Pectora jam rodet Puerorum tosta cruore,  
Jam conclamantur Sanies, vermisq;, luesq;  
In tua Fata, tuos jam Pus depascitur artus,  
Nunc Homicida mihi dignas dabis improbe penas  
Audiam, & hac Manes veniet quoq; fama sub imo.  
Hac ait, atq; volans rapidas citò vecta per auras  
Vidit adhuc plenis miseranda cadavera vicis,  
Incubuitq; illis dixitq; novissima verba;  
O vos Felices Anima, nimiumq; beata  
Quis ante ora Patrum, fervente furore Tyrannus  
Contigit oppetere, & vitæ vix tangere vitam,  
Scandite Calorum portas loca debita Genti  
Isacidum, proprios sibi quos nunc Regia Cali,  
Vindicat, & Solio pueros dignatur avito,  
Nobile depositum veluti radiantis Olympi

Vos

Vos novus hic HEROS superas praeiungit in oras,  
Vos primi Infantem fudistis sanguine vitam,  
Adventumq; novi decorastis funere Regis  
Dum vetus Abramidum Proles durabit in Orbe,  
Festaq; MESSIAE nati memorabit, apex SOL  
Dum duodena reget vexilla volubilis Anni,  
Cespitis & Phaedrum gramina rore rigabit,  
Ipsaq; dum solidis tellus innixa columnis  
Semina Sementi feret, & dum Sidera centri  
Non chaos antiquum repetent, molemq; priorem,  
Vester Honos, Nomen, Deco & pia fama manebit.  
Vobis parta quies, vobis jam digna parantur  
Praemia, vicistis palmam viridemq; Corollam  
Candentemq; togam niveis aptate lacertis.

Sic effata cito cum Manibus exit in auras,  
Nulli visa magis, nec, lingua affabilis ulli.  
At PATER omnipotens alto dum singula caelo  
Rimatur, vidit MATRES inhumataq; passim  
Corpora per terras, fora, limina, rostra, platejas,  
Instar Brutorum gregis, inde jacentia & inde.  
Jam freta, jam terras, Centriq; decemplicis orbis  
In chaos antiquum ducturus, atrociam corda  
Aeternum pressurus orat, sed temporis arctam  
Aspiciens metam, fatiq; adamantina iura,  
Distulit in seram commissa piacula messem.  
Atq; caput motans, placido pauca insit ab ore;  
Fata viam invenient, aderit Mors digna Tyranno,  
Olim tempus erit, cum corda ferocia ponet.

Mundus,

Mundus, & aeternum REX hic dominabitur Or.  
Dixit, & hinc rursus sublimi inuectus Olymp.  
In solio, Sanctis comitantibus inde resedit.  
Principijs nati Regis, Regniq; futuri  
Intentus, Fati mysteria pectore legit.

At Tu nate PVER, nostrae SPES sola salutis  
Asere nos, tua nunc Cunabula parva colentes,  
Vastantes contra Porcos. De sidere tandem  
Quum venies Judex, dextrâ nos parte repone  
A grege Sangvivoro longâ statione remotos.



A D

Generosum & Strenuum Equitem,

DN BOHUSLAUM

DE MICHALOVICZ &c. NEU-

orffl & Rvenicz I Dynastā, S. C. M.

Consiliarium & Regni Bohemiæ,

ProCancellarium &c. Dominum

suum gratiosum.

**S**alve Superstes Patrij jubar Soli  
Atlas Bohemici Poli.

Salve mihi Salve Clientibus tuis,  
Laudate VIR domi foris.

Auriga Salve currus augusti, atq; amans  
Quiritium Salve Caput.

Cui Pax viget, cui Patriæ litat salus  
Geni Polaris alite.

Anno recente mos Pij Vatis jubet  
Donis adire Principes

Quibus rogatæ, cura sunt fervens, DEÆ,  
Et officina Patriæ.

Heroicum pulvinar immuni manu,  
Adire sed nefas putant.

HEROS egentis ergo non vultus feres?  
Domum subire non dabis?

Absit. Quiritum vult enim manus coli  
Non munere, at voti fide


Non Purpurâ placatur ullâ JUPPITER  
Non sumptuosâ victimâ.

Quin

Quin' thure modico, farris ac adorea  
Ritu paratâ simplici.  
Munus tuis & hoc gratum Penatibus  
Quam dona molis aureæ.  
Mens Indoles edocta sub celso Lare,  
Nativa virtus, & genus,  
Insevit altos pectori mores tuo,  
Lepore tinctos gratiæ.  
Solùmq; nasci passa non Tibi, & tuis  
Inglorium senescere,  
Brevi sed amplum publicæ munus rei  
Obire faustiter dedit.  
Jussit Talentum creditum Cælo; Bonis  
Patriæ dicare commodis,  
Hinc tot laborum moles, & molestiæ  
Tot, obruunt canum Caput.  
Propitia Fata, cum Salute Publicâ  
Dum Quæris. Et sagax caves  
Ne lapsa retrò res feratur Boëmica  
Virtusq; prisca concidat,  
Cui fulciendæ tantus Atlas obtigit,  
Vix æmulandus alteri.  
Quid singularis Faustitatis gratiam  
Dicam? Quid excelsum decus?  
En Filium Pater Leporis indole  
Artisq; flore præditum.  
Qui Juvenis ingentem tamen spirat Virum  
Summiq; subselli sinum.  
Qui rectâ ad ædem Honoris affectat viam  
Fastigiumq; gloriæ.  
Nil humile tentans, nil loquens evanidum  
Ut vulgus aterassolet

Per

Permensus at ceu cuncta terrarum Sola  
Moresq; doctus ex teros.  
Te laude multâ clarat ille, (cui dedite  
Laus multa nomen plurimum.)  
Hoc in Dei virtute provisum est tibi  
(O Filij magni PATER)  
Ne possit unquam Nomen emori tuum,  
Adusq; terræ terminum.  
Beata Sæcla, tale quæ Cœlo jubar  
Tulere Communi Bono!  
Felicitas hæc, oro, sit perpes tibi,  
Totiq; sarta Patriæ.  
Serventq; nostro Fata TE diu Solo  
Et Sospitem & superstitem.  
Annus Tibi tuisq; faustus adprecor  
Currat, recurrat jugiter.  
Hoc Faxit ille, Rem Bohemicam Pater  
Qui lumine æquo respicit.



A D

*Generosum & Incomparabilem Vitam*

Dñ. DOCTOREM, JOHAN-  
NEM JSESENIUM á JESSEN  
Equitem Hungarum  
nunc Carolinæ Pragensis Academiae Recto-  
rem Magnificum.

**A**uguste sanguis, Pallados Arx meæ,  
Et Carolini Præsidium Fori  
Quo PRAGA se iactans Alumno  
Invidet eximijs Athenis.

Ambi ;

Ambibo quo **TE** munere? quod feram  
Donum? Sacrae num Pacis olivulam?  
At scis nihil nos possidere.  
Præter Opes animi voventis  
Sic destitutus muneribus; preces  
Concurrere ultro cogor ad Intimas  
Tibiq; de summis revulsum  
Promere Pectoribus Calorem.  
Ignosce fasso, plectraq; tempera,  
O Barbiton, venæ ô Decor entheæ,  
Mirâcla Naturæ efficacis  
Eu phrosynes bene docte nexu.  
**TE**, **TE** beatum dico, ter, & quater  
Gentis vetustas seu mihi contigit  
Examineda, seu parati  
Numinis ingenio triumphî.  
Sanctum Salutis Pœoniæ Caput  
Audis, residet prisca tibi manus,  
Miramur hanc, miramur illis  
**TE**. rapuisse decus tot unum.  
Galena mens, ô quam Stupet invidens,  
Quam Theiophraستي, quam Cor Apollinis,  
Ex asse morborum favillas  
Et comitem famulumq; lethi,  
Sic evidenter dicere Singula,  
Sic atq; prompto tollere pharmaco,  
Litare Sospitalitati  
Proh Stomacho patiuntur ægro!  
Vidi jacentes ( arrige qui legis )  
Marcere vidi lumina jam nece  
Fauces hiantes, præstolantes  
Jam secet ut Libitina crinem.

At JA

At Is cadentem suppositâ manu  
Levavit, arcti funeris à metu,  
Vitæq; rursus restitutum  
In medio statuit Salutis,  
Plorat sub imâ Tisiphone Styge,  
Deæ queruntur lanifices, Charon  
Spe falsus in navi gemiscit  
Fortè suæ metuens ruinæ.  
Ter-plura Casurgis mea; CAROLI  
Ter-plura Pindus, Pubis Atheneum,  
Cui Symbolon vivacioris  
Materiæ dedit ille, dicent,  
Dicent, Athenarum ut meditullio  
Effulget, altis auctus Honoribus,  
Hunc ut stupefcunt, dum diserto  
Ore tonat, pia jura reddens.  
Dicent. At ultrâ non queo cuncta; nam  
Nil fixa virtus huic dedit invium,  
Virtus carens molis Sepulchro,  
Et senij titubantis expers.  
Sic umbilicos armituum jugi  
Vivace vectus velitis alite  
Tenet, ter - amplus terq; - clarus  
Clarior ignivomo Pyropo.  
Maeste ergo tantâ laudis adoreâ  
Cures nec atræ quisquiliæ Nepæ,  
Famæ dicatus sempiternæ,  
Vis medicæ melicæq; plenus.  
Sic Prava ludæ sommata perditæ,  
Vulgiq; falsos se excipitis logos,  
Inerme Vejovisq; telum,  
Plebis ad arbitrium volantis

Sic A-

Sic Aspides, sic vipereum genus  
 Et quicquid usquam Fex fera fert; Iuis  
 Fex egeratrix eruditi  
 Seminis, exitialis Arti,  
 Vinces. At ipsum, Quid? dubitas ad huc  
 Evincit Omen nominis intimum  
 Nam Fraxini vel umbra, Virus  
 Atq; venena procul fugabit.  
 Tum te Poetae Carmine perpeti  
 Pangent, ad instar quum Latij Patris  
 Palmâ coronatus virenti  
 MOLDIADUM auspicio viresces.  
 Sed Musa languet, *CAROLEUM* jubar  
*Te Prosperasit Patria Faustitas*  
*Cujus Salus & Vita prodest*  
*Omniibus una, nocet nec uni.*

Ad Generosæ Stirpis & Strenuæ Virtutis Alumnum  
 Dn. JOANNEM-SMILUM  
 MICHALOVICZ MAGNI IL  
 LIUS PATRIS DE REPUBLICA Pa  
 triâ bene meriti &c. Filium, inter hujus Seculi  
 Doctos Nobilem, inter Nobiles Doctum,  
 inter utrosq; Optimum.

**O**SMIE, cretum nobili jubar Polo  
 Doctæ Juventæ Lumen, aureum decus  
 Peithus Ocelle Flos dicæ Gratiis,  
 Medulla Clus, officina Palladis,  
 Sidus refulgens intes Artis nubila,  
 Exemplar amplæ Laudis & morum lepor  
 Quam Sancta Virtus, Dignitatis ac Honos  
 Famæ vè Pondus, (calcar indolis piæ)

Sui 2

Suis adhæret, ceu adhæret Corpori  
Perennis umbra, Luminiq; Cœlico  
Splendor, calore lucis arbitrario,  
Antiquitas his erudita sensibus  
Contigua Fana comparavit, arduæ  
Virtutis atq; Honoris, istâ enim prius  
Clarere debent, qui Sùperna laudibus  
Ad Astra ferri postulant. Honor Viros  
Virtute præditos prius, sacrat Polos  
Quod si quis unquam munere hoc clarus fuit,  
Tu es unus ille, Flos juventæ Czechicæ,  
Ut jure felix prædicere nunc mihi.  
Magnus domi propage, nobilis foris,  
Clarere mavis at tuis virtutibus,  
Hinc educatus Ingeni faventiâ  
Mentem rigasti rore Pimpleo probè  
(Qua dote magnus esse qui velit potest)  
Mox acriori percitus cupidine  
Scientiæ, esuritor escæ perpetis  
Lustratum isti nationes exteras;  
Regina Terræ, tot triumphis nobilis  
Pingvi superbit quâ Pater - Tybris bolo,  
Agnoscit Orbis unus Urbem ubi suam;  
Venetusq; collo frena qui ponit maris,  
Cumq; Italo, Gallus, Sabaudus, Helvetus  
Iberus, Anglus, Belga, Tungrus, Heduus,  
Bavarus, Insuber, Sicamber, Atrebas,  
Et quem Bifrontis potat Isthmi Confluens  
Et qui gelantem cernit Arcton Accola,  
Jambus & quem vix potis meus loqui,  
Te vidit, atq; contubernium stupens -  
Miratus in Te perspicacis Ingeni.  
Duntaxat Orbis, Urbium, haud, spectacula  
Muros, vas, turrata mœnia, ac domos,

Pontes, aprica Vinearum culminā,  
 Montes, agros, Hortos, Aquas, Colles, lacus,  
 Sexcenta quęve vulgus ignarum stupet;  
 Magis at Sacrarum castra lustrans Artium  
 Emporia Mercis literatę fulgida,  
 Insigniores Orbis Urbium atq; opes  
 Quibus carere, Soleceu, mundus nequit,  
 Siti sitisti, & esuristi Strenuus,  
 Exinde Doctis notus ex ovo Viris,  
 Auditus inter pulpita & choros Sophum  
 Sic fulminasti voce masculā, Sophus,  
 Sophies ter ampla percitus cor alite  
 Phæboq; plenus Splenduidisti, Sirius.  
 Ut alter inter erudita lumina,  
 Jam prædicat TE literatorum phalanx.  
 Tibiq; laudes invidet, laudum satur  
 Heros charybdi notus & scyllę freto,  
 Sirenijsq; cautibus vectum caput.  
 Hęc mactę laude, mactę partā gloriā  
 Quo TE, Parentum, Patrię vocat Salus,  
 Apexq; Laudis meta virtutis - vię.  
 Honore letus temet involvas tuo.  
 Olim videbo, (quam peto solers) diem  
 Modo si favore me putas dignum tuo  
 (Cui me meumq; consecro suplex epos)  
 Tuas secundo qua feram laudes Stilo,  
 Scęloq; Nomen aggregabo Postero,  
 Pręsens quod ętas, & Neporum gens legat,  
 Nec labor ullus eximat, fors obruat,  
 Jam vive felix Nestor, & virevigens.  
 Amari Parentum, nobilis jubar domus,  
 Ocellę Peithus officina Palladis  
 Exemplar altę laudis & morum lepor.

F I N I S

Lit Lat m A 745

